



*G17*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-59

SIGNAT. *c1919 CCCXIII.*



JOVA JUVA!  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
EX  
THEOLOGIA NATURALI  
DE  
ÆTERNITATE.

QVAM  
DEO ÆTERNO DUCE,  
*ex benevolo Ampliss. Facult. Philosoph. indultu*  
*IN ELECTORALI AD ALBIM LEUCOREA,*  
*SUB PRÆSIDEO*  
*VIRI PRÆCLARISSIMI, HUMANISSIMI,*  
*PARITER ATQVE DOCTISSIMI*

DN. M. PAULI PLATANI,

Muotovâ - Hungari,

Fautoris atque Amici honorandi, Praeceptoris  
itemq; astutissimi,  
Publicæ Eruditorum Disquisitioni  
sistit

AUCTOR & RESPONDENS

MICHAEL SARTORIUS,

Gubenensis Lusatus,

Ad Diem XXVII. Martii, A. O. R. M. DC. LXXVIII.  
IN AUDITORIO VETERIS COLLEGII,  
Horâ antemeridianâ.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOH. BORCKARDI excudebat SIMON Licherhirt;

THEOLOGIA MATRATI  
CHRISTIANA

# THEATRINATB.

DEO ALTRUND. DUCI  
IN REFORMATIO. TIBI  
ALIAS. OLAESIUS.  
M. P. PLATANI.

DE M. P. PLATANI.

M. P. PLATANI.

MICHAEL SARTORIUS.

AD M. P. PLATANI.

WILHELM.

Σων τῷ Θεῷ αἰσθένε !

## P R A E F A M E N.



Voniam unicè à DEO, ceu omnis boni fonte, bona tam corporalia, qvām spiritualia profluunt, idēc uniuersis pio DEI cultori, ut de illo, tanqām vero & summa Bono, qvō solo beatus esse potest, diu no[n]tūq[ue] meditetur, maximè incumbit, qvandoq[ue] idem non sufficiat tantum religiosè DEUM colere, sed & p[ro]p[ter]e ipso loqui, cūm nullum utilius objectum meditationi suz qvisq[ue]m diligere possit, qvām si in ejus naturæ & operum consideratione veretur. Multi tamen, ne, scrutando Majestatem Divinam, ab ea opprimantur, silentiō potius DEUM venerari, qvām de eo loqu[er]i malunt. Sed cūra tam è sacrarum literarum Pandectis, qvām ex Natura, esse verè DEUM, luculentissimè conket, idēc minimè silentium ejusmodi probatur, Ambrosius enim, (a) qvæ ait, *DEUS occulta esse voluit, non sunt scrutanda, qva autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne ē in illis illis curiosi, ē in istis damnabiliter inventamur ingniti.* Dolendum sanè est, qvòd tam planè & plenè DEI cognitio nobis non innote[n]scat, interim tamen conceptus tales in nobis de eo sunt formandi, qvā nos aliquantisper in ejusdem notitiam ducant; Qvòd faciunt *Attributa Divina*, qvorum ope DEI essentia nobis repræsentatur, qvæ quidem prorsus eadem sunt materialiter & entitativè, plur[t]am tamen sunt ratione sive equivalenter, ut benè hoc ipsum explicat Thomas (b). Et qvamvis maxima admodum difficultas atque obscuritas nobis hic sese præbeat, qvæ potissimum, judice B. Jac. Martini (c), ex quatuor istis DEI Attributis fluit: scil. ex Spiritualitate: ex purissima Simplicitate: ex Infinitate & Eternitate; Nos tamen minimè deterriti hac difficultate nihilominus de ultimo hoc DEI Attributo, videlicet de ETERNITATE, nunc in praesenti Dissertationem hanc pro ratione instituti prodere certas obcausas animo decrevimus, atque in ejusdem examine ingenii nostri tenuissimi vires experiri volumus. In duabus autem Sectionibus, qvarum prima erit *dogmatum*, qvid sit Eternitas, & qvomodo dispescatur, altera *Quæstiunæ*, qvasdam Quæstiones exinde fluentes exhibens, res tota delineabitur, Eternum Numen nostris adhuc conatibus, ut de Eternitate vera atque salutaria dicamus! Sit proinde in ejus nomine

A 2 SECTIO

(a) Lib. i. de voc. Gens. (b) In i. d. 2. q. un. art. 3. ad 6. (c) In Exercit.

Mtr. Exerc. IV. Theor. s. q. 674.

SECTIO I.  
DOG M A T I C A

S. I. **Q**uotuplici viâ DEUS alias cognoscatur, notum esse puto o-  
mnibus, qvî in hoc argumento versati unquam fuerunt. Pre-  
ter viam enim *causalitatis* atqve *negationis* etiam via est *eminencia*, seu  
*perfectionis*, qvâ, qnicq; id in creaturis maximè perfectum invenimus;  
DEO quoque, ceu summo Ente, longè eminentiori modō, absq; omni-  
tamen imperfectione, attribuimus. Jam autem Duratio ipsa rebus crea-  
tis competit, per qvam creatura permanet in essendo, suamq; qvâl con-  
tinuat existentiam, igitur etiam in DEO tale dari necesse est Attribu-  
tum, per qvod ipse in essendo permaneat. Sed cum Duratio ejusmodi  
determinata, qvæ in creaturis invenitur, multis modis sit imperfecta,  
ideò talis Euti infinito non potest attribui; sed longè eminentior, nec  
non ab omni imperfectione depurata. Hæc itaque & à Scholis Theo-  
logicis & Philosophicis vocatur speciali nomine *Eternitas*, vel *infinita*  
*Duratio*, qvam DEUS, ut *Attributum proprium*, sibi vendicat.

S. II. Sunt autem *Attributa DEI* multiplicita, non quidem in se;  
sed secundum nostrum solummodo concipiendi modum, fundamento  
tamen deprehenso, alia enim sunt *Absoluta*, alia *Respectiva*; qvædam  
sunt *felixa* s. affirmativa, qvædam *sternua* s. negativa; nonnulla  
sunt *communicabilia* s. non-communicabilia, nonnulla *convenientia* s. com-  
municabilia; aliqua sunt *operativa* vel *quiescentia*, aliqua vero *cre-  
denda* vel *operativa*; Ex horum itaque *Attributorum* ordine priori  
etiam est *Eternitas*, ex qua, DEUM esse, utique secundum nostrum in-  
telligendi conceptum aliquo modo colligimus.

S. III. In hujus ergo enodatione, priusq; ad rem ipsam nos  
accingamus, luber anteà juxta communem suscepimus morem de nota-  
tione nominis pauca dicere. Absolvitur enim res qvævis in communi-  
tate *onomatologia* atqve *παγυατολογία*: Illa iterum tria in se continet,  
videlicet (1) *έπωνυμία*, s. nominis originem, derivationem ac signifi-  
cationem; (2) *οὐσιώνια*, s. variam vocis acceptiōnem & usurpatiō-  
nem; & (3) *συνωνυμία*, s. æquivollentium investigationem.

S. IV. Qvod *Etymologiam* spectat, *Eternitas* dicitur ab *aterno*,  
qvod aliis est qvâl *extrem terminum*, seu sine termino existens. Hinc  
juxta Svarez. (d) *Eternum* describi assulet hoc modō, qvod exsistit ita,

(d) *Diss. sa. Met. f. 3. n. 3. p. 638.*

ut nunquam sit finiendum, vel nec finiri possit sive ab intrinseco principio, sive ab extrinseco. Secundum alios *Eternum* dicitur quasi *eternum*, per Syncopen; ab *Aeo*, & hoc à Græco αἰών, quasi dicitur *αἰών*, semper existens, teste Aristotele (e). Nonnulli *Eternum* deduci existimant ab αἴρει, s. aether, ἀπὸ τοῦ αἰώνος & θεού, currere, ut ita *Eternum* sit quasi *Etherinam*, ēd qvōd cœlum videatur αἰώνος τοῦ αὐτοῦ οὐδὲν διαλογίων. Hinc antiquitus scriptum erat *ETERNUM.* De quo vide sis Beckmannum (f). Confer, etiam in h. l. B. Dn. D. Klozium (g), nec non Dn. Mejerum (h).

§. V. Porrò qvod Homonymiam attinet, dicitur *Eternitas* vocabulum ambiguum, & quidem (i) abusivè, pro tempore diurno & longevi, utpote qvod omnium hominum excedit cogitationes; vel pro duratione vite, qvomodo servitus dicitur aeterna ejus, cuius aures personatae erant; imo in communi aeternam gratitudinem pollicetur bene de nobis merentibus. (2) Impropiè & strictè, pro duratione limitata ac (non longeva, sed) perpetua, qvatenus videlicet notat tantummodo indefectibilatem à posteriori, & vocatur *Eternitas* à parte post, qvæ nullum qvidem agnoscit finem, licet verum habeat principium. Hæc vero *Eternitas* potius dicitur *Erum*, & qvæ ita durant, aeterna, qvam aeterna. Et hoc modo tribuitur creaturis, utpote Angelis & Anima rationali, itemq; vita aeterna. (3) Propriè & adequate, pro ejusmodi duratione absoluta & infinita, qvæ initii & finis nullatenus potest esse capax, eamq; ob causam dicitur *Eternitas* à parte ante & à parte post, & luxa hanc solus DEUS aeternus esse creditur, qvam Eternitatem ultimam etiam h. l. solum intelligimus.

§. VI. Ceterum qvæ Synonymiam hæcce *Eternitas* variis alijs nominibus in variis linguis dotari solet. Ut pote apud Ebraos vocatur אָמֵן (à quo Latinum Olim) Perpetuum, *Eternum*, *Seculum*, à rad. אָלֹעַ, occultavit, abscondit, qvia *Eternitatis* initium finisq; latet, & a sensibus nostris abscondita est. Præterea & apud eosdem vocula, עָזָב (usqve, usqve ad *Seculum*) absolute posita *Eternitatem* insere, qvia eandem nemo meditando assequi potest, sed semper ulterius progressio necessum habet. Græcis *Eternitas* vocatur αἰώνιος, *aeternus* ve-  
rd αἰώνιος dicitur, ab αἰώνι, αεrum, vel *aeternitas*, quasi dicitur αἰών  
A 3

(e) Lib. 12. Met. cap. 7. (f) in Origin. LL. pag. 198. (g) in Disp. X. Pneum. S. 21. p. 568. seqq. (h) Lib. I. Pntum. c. VI. §. t. p. 440.

et, juxta Aristotelem (i), vel ὁ θεὸς εἶνας, à perpetuo statu  
item aīdi(ο), quod itidem, teste Phavorino, sic dicitur, quasi αἰδίοις  
παντεπονητέξεισιποι μηδὲ λήγων. Latinus appellatur Eternitas à par-  
te ante, & à parte post, Duratio simpliciter interminabilis, Sempiterni-  
tas, &c. Vide, si placet, de his nominibus ubertius differentem *Magnam*  
*Academiam nostram Lumen Magnificum. Dn. D. Calovium (k).*

§. VII. Evolutis nunc iis in Onomatologia involucris, quibus  
nomen Eternitas involutum esse videbatur, ulterius nunc progredi-  
endum erit ad ipsam Pragmatologiam, quod dum fieri, paucis anteā dis-  
piciemus [I.] Existentiam Eternitatis, an videlicet hujusmodi Eterni-  
tas, de qua in fine §. V. dictum, detur, (nam, juxta Philosophorum axio-  
ma, Non-Eantis nullæ dantur Affectiones;) &, quodnam ejus sit Subje-  
ctum, cui hoc ipsum Attributum conveniat, inquiramus. Illud itaque  
DEUM esse, nemo unquam in dubium vocare ausus est, id quod non-  
tantummodo è sacris literis luculentissimè probari posse, dilucidè satia  
exhibit B. D. D. Gerhardus (l), itemq; Venerandus D. D. Galovius  
(m); quin & ipsi Gentiles hanc Eternitatem non omnino ignorabant,  
sed potius eandem unanimiter sunt confessi, ex lumine Naturæ certio-  
res facti. Thales enim Philosophus interrogatus, quidnam esset in toto  
verum Naturæ verutissimum? respondit; DEUS, quia nunquam esse  
cepit. Idem interrogatus, quid esset DEUS? respondit; o μητρὸς οὐχι  
πάτερ τίλος. Plato in Timeo afferit, DEO nihil præteriti, nihil  
futuri absque blasphemia tribui posse. Plura hanc in rem qvorundam  
ex Ethnica gente dicta & instituta valde illustria, congesta & annotata.  
vide apud eit, B. D. Klotzium (n).

§. VIII. Nobis quoque solummodo jam nunc negocium erit, ut  
ostendamus, quo ad vires poterunt, quā ratione olim Gentiles D E I  
Eternitatem cognoscere valuerint ex solo Naturæ lumine, aut qvomodo  
etiam nos adhuc, circa intuitum revelationis divinitus factæ, audo  
rationis discursu eam colligere queamus. Cujus rei non unum, sed be-  
nè multa sese hic nobis offerunt argumenta, qvæ intellectum nostrum  
ad eò urgent, ut, D E U M eternum esse, certò perswasum habeamus.  
Primum itaque ab infinita DEL essentia perimus, ubi ita argumentamur:  
Si DEUS secundum totum suum Est est infinitum Ens, seqvitur, quod  
etiam

(i) E. i. de Gelo. (k) in Syst. Theol. Tom. II. cap. VIII. p. m. 385. seqq.  
(l) LL. Theol. L. II. Sect. 4. §. 138. (m) loc. cit. (n) h. c. §. 25. p. 379.

etiam secundum durationem sit infinitum Ens; ad eodq; et ceterum. Sed prius est verum, non enim indiget probatione, quandoque id ipsum ex absoluta DEI independentia satis aperiè constet. Collectio probatur, quia duratio rei intrinseca (etiam in re creata) non differt realiter à subjecti sui essentia; Ideoq; uti se se res habet in esse, ita & in durando. Jam vero, cum DEUS in Esse suo summè sit infinitus: Ergo aportet, ut etiam in duratione infinitus atque aeternus permaneat. Addo, quod, ut DEUS nullis essentiae finibus circumscribitur, neque durationis & existentiae finibus circumscribi poterit. Alias infinitus esset, & simul finitus, quod contradictorium sanè est. Secundum ipsa Independentia Divina exhibet. Nam quocunque est Ens independentia atque primum, necesse est, ut sit quoque aeternum. Jam substantio de DEO vera est, quia nullam sui causam in Esse suo agnoscit, ideoq; nec ratione sua durationis aliquam causam admittere potest. Eadem enim, ut jam modò dictum, sunt principia essentia & durationis, propter realem illarum identitatem. Quod igitur nullam sua durationis causam admittit, illud nec incipere potest, nec definire: Non incipere, quia nihil sit sine causa, nec tamen quicquam sui ipius causa esse potest: Nec definire, quia id fieri deberet per subtractionem influxus conservativi, quem tamen hoc subjectum, simius DEUS, de quo in praesenti agimus, non agnoscit. Ergo si hic neque incipere, neque definire potuit, erit omnino aeternus, alias, si incipere potuerit, per aliud se prius incepisset, & tum hoc pacto independens non fuisset, foret ad eodq; independens & dependens simul, quod iterum absurdum. Tertium immutabilitas Divina nobis suppeditat. Quicunque simpliciter est immutabilis, Is sanè etiam aeternus erit. Atqui DEUS simpliciter est immutabilis. E. erit aeternus. Majorem quod attinet, ea extra omnem dubitationis aleam est posita. Minor etiam clara est, nam si DEUS non esset aeternus, posset aut incipere, aut definire per inceptionem ac definitionem sui, quod certè utrumque infert mutationem. Si enim incepit, à non esse ad esse transibit, id quod omnino est mutari; si deficerit, tunc ab esse ad non esse transibit, quod istidem est mutari. Jam autem, cum omnis mutabilitas à DEO removenda, quia nec ejus essentia, nec intellectus vel voluntas mutari potest, non potest non esse aeternus, uti manifeste patet ex collectione.

S. IX. Hec itaque argumenta ad stabilendam Dei Aeternitatem



tem è ratione petita satis clara atque perspicua, immo & invicta esse autem. Reliqua vero, quæ & alias ab aliis adferri assolent, non tam apta atque perspicua, quam potius obscura esse videntur. Inter quæ etiam tria illa priora, quæ *Marsilius Ficinus* (o) conglomerat atque inculcat, referenda esse puto, quorum primum accersit ab *infinity DEI virtute*, per quam in infinitum & ipse permanet, & cætera servat; Alterum desum à *peritate DEI*, quæ omne rerum antecedit initium, & omnium rerum fini succedit; Tertium petit à *DEI Excellentia*, quæ super omnem modum tempusq; omnino existit. Ipissima verba harum probacionum si desideras, legere potes, si velis, B. D. Kloetzli, qui eadem (p) clarè atque expressè recenset. His, ceu invalidis atque iufirmis rationibus ab *Excellentiss. Dn. Donati, Praeceptore meo summoperè colendo*, etiam illud *Heereboordii* (q) annumeratur, cuius in Disp. pecul. (r) meminit, quam, si lubet, consulas.

S. X. Dum ergo hucusq; *Eternitatem* essentia Divina attulimus, minimè ab ea *Attributa Divina*, actiones item tam liberas, quam necessarias, tam immanentes, tam transeuntes, (vel quicquid aliud alio nomine intra ambitum essentia divina comprehenditur) spectatas tamen non terminativè, ut sunt aliquid extra DEUM; sed ratione principii, in quantum intra complexum Divina substantia sunt posita, consideratas, excludimus. Atque hæc *Attributa* & cetera in universo munia æterna esse, modò dicto, ex summa eorum, quæ in DEO sunt, identitate cum essentia Divina indubitate colligimus. Id quod contra quosdam, decreta Divina, aliosq; actus à libera DEI voluntate pendent, non ab æterno in DEO extitisse, sed instar accidentium in tempore cœpisse, contendentes, notandum erat, de quo vero alibi disputandi locus relinquitur.

S. XI. Certiores itaque facti de *Eternitatis* hujus Existentiâ, aggreditur nunc porrò (II.) ipsam Essentiam quidem, ad quam eò melius declarandam opus erat aliquæ Definitione ac Divisione, itemq; Proprietatum enumeratione, Definitionem quod attinet, ea hoc loco accurata dati atque expectati nequit, quia *Eternitas* non est à genere rerum prædicamentium, sed Transcendentium; ergo Descriptione saltē aliquæ contenti esse cogimur. Describitur vero ea à variis variè.

Thomæ

(o) L. 2. de Immort. Anim. c. 5. p. 99. (p) l. c. p. 578. (q) Disp. Se-  
lect., vol. 1. Disp. 25. th. 6. p. 95. (r) De Eternitate §. 28.

Thomæ (s) *Eternitas est duratio, qua nullam successionem admettit, neque  
in esse, neque in proprijs & internis actibus seu operationibus rei eterne.* Est  
item *Eternitas nihil aliud, quam ensimens perseverantia in esse, ut bene  
Hurtad. de Mendoz. (t) ait. *Scholasticis describitur, quod sit duregio in-  
divisibila, excludens omnem successionem; interminabilia, excludens prin-  
cipium & finem; independens, excludens omnem imperfectionem & muta-  
tionem.* Pro receptissima quidem omnium ab Excellent. Dn. Donati  
(u) haberi solet illa, quam Boëthius (x) hoc modō tradit, *Eternitas, in-  
quiens, est interminabilitate via etota simul & perfecta possitio.* Verum e-  
pim vero, quamvis haec descriptio, etiam juxta ipsius censuram, nill falsè  
contineat, ac præterea non infeliciter Divinam *Eternitatem* describat;  
et tamen hujusmodi est, quæ ad regulas artificum omni ex parte mini-  
mè quadrat. Præter enim rem conceptui *Eternitatis* *Vita* inseritus, quæ  
eamen longè diversum ab illa DEI Attributum est, ac præterea *Possessio*  
vocabulum nimis duriter loco Durationis adhibetur. Optima ergo &  
aptissima illa *Eternitas* descriptio erit, quam Magnif. Dn. D. Calo-  
vius (y) breviter tradit h. m. *Eternitas DEI est duratio vel permanentia  
essentia DEI interminabilitate.**

S. XII. In qua descriptione habetur Conceptus tum contrahibilis,  
tum contrahens. Qvod quidem ad *Contrahibilem vel communem*,  
ipsius Conceptum spectat, illius loco habetur Duratio vel Permanentia.  
Dicitur equidem *Eternitas Duratio* quædam, sed absque successione,  
permanens & perennans, quæ nil nisi perpetuum vobis, idq; fixum, non  
fluxum est. Alias *Duratio* Scaliger continuatus essendi tractus, Pererio  
extensio seu mora quædam existentiae, plenisqve ( sensu quidem eodem,  
sed commodiori locutione ) essendi permanentia seu permanacio ac per-  
severantia in existentia, dicitur. Ubi tamen observandum ex Meta-  
physicis est, *Permanentia* vocem hic omnis variationis esse incapacem,  
& non in oppositione ad successivum accipi, quomodo illi tantum  
competit, qvod non habet partes sui esse in fluxu; sed jam in laxiori si-  
gnificatu usurpati, prout Entia non permanentia solùm, sed & successi-  
va eatenus denominat, quatenus illa, ubi semel exitierint, non destru-  
untur statim, aut ab esse suo deturbantur, sed retinent eandem existen-  
tiā,

B

(s) p. i. Summ. q. 10. art. 5. (t) d. 17. Met. s. 4. S. 23. (u) loc. cit. S. 4.  
(x) L. V. de Consol. Phil. cap. 6. (y) T. II. Syst. Thol. c. VIII. p. 384.  
Item in *Metaph. Divin. de Duratione* cap. VII. portam. 3.



clam, quam ante habuerunt. Ex quibus facile constat, Permaneniam  
hanc, si *exoxwē* sumatur, ut omnis variationis sit incapax, coincidere  
cum illa *Duratio*, eamq; minimè differre realiter à DEI existentia, sed  
convenire cum eadem quā rem ipsam, differre tamen saltem formaliter  
seu conceptu, ita ut secundum nostrum concipiendi modum (sicut  
Svarezius (z) loquitur) præexistentiam ejusdem existentia connotet,  
seu quod talis existentia concepi possit, ut existens, ante quoclibet in-  
stans, pro quo durare dicitor.

S. XIII. De cætero circa *Concepum Eternitatis contrahentem*  
vel *proprium* multa inter eruditos aliás foventur litigia, qui admodum  
variant in eo adstruendo, quorum sententias hic enumerare instituti ra-  
tio non permitteret. Nos istum *à Interminabile esse*, antea cum ple-  
risque Philosphorum diximus. Ubi observes velim, quod. (ut hoc oce-  
currit in plerisque Attributis Divinis,) licet hoc formale negativè se-  
nostræ menti fistat, tamen, si de conceptu totali & adæquato *Eternitati*  
sermo sit, nec *actu* morte negativus sit, nec etiam nudā negatione ab-  
solvi possit; sed perfectionem positivam atque absolutissimam inferat;  
Id quod verò (quod probè reuendum) non ratione vocis, sed ratione  
significati intelligi debet. Nam si vocem spectemus, illa haud dubie  
negativa est, quia terminabilitatem negat atque removet; res tamen  
significata voce istâ negativâ perfectio positiva est, rei *eterna* circa  
mentis operationem conveniens. Deinceps *Interminabile* hic non idem  
est, ac *inmensibile*, seu quod nullâ mensurâ definiti ac terminari po-  
test; uti quidam hanc vocem interpretantur; Neque simpliciter idem  
notat, quod cætere principiū & fine; uti iterum quidam volunt; sed  
sumitur pro eo, cui repugnat omnino terminari vel deficere, seu initium  
& finem habere, & quod non tantum *actu* non terminatur, sed ne quidem  
ob Inabilitatem ad incipendum & desinendum terminari potest  
vel à priori, vel à posteriori, vel à parte ante, vel à parte post, ut loqui  
amant. Pro quo etiam aliás simpliciter indefessibile dici potest, ut ita  
*Eternitas* per se & illa sit & tota simul, non ad nittens ullam existentia  
variationem ac mutationem, inquit ut ratione ipsius formalis repugnan-  
tiā sive negationē non tantummodo actualis desitionis ac incep-  
tions; sed etiam capacitatris seu possibilis initii & finis loferat; adeòq;  
additur vocabū *simpliciter*, tum, ut utergve terminus removetur tam à  
parte

(z) *Lib. 50. Met. Sch. 3. num. 4.*

parte antè, qvā à parte pòst: tum, ut denotetur, non aliunde causa  
fluere, sed independenter planè DEO competere.

§. XIV. Hanc ergò interminabilitatem, qvam nunc tradidi, pri-  
mum atqve proprium Aeternitatis conceptum exhibere, probo ita:  
Qvia concepta Duratio simpliciter interminabili, si vel nihil aliud co-  
gitem, Aeternitatem tamen concipio; & contrà, non concepta Dura-  
tione simpliciter interminabili, qvodcunq; etiam concipiám, nun-  
qvam plenè & adæquatè Aeternitatem cogito. Adde, qvòd præter A-  
eternitatem nulla alia duratio allegari possit, qvæ de ista interminabi-  
litate participet, sed qvæcunq; alia ab Aeternitate detur, illia utrinque  
terminabilis sit, & à parte antè, & à parte pòst, sive actu utrinque ter-  
minatur, sive saltem ex una parte.

§. XV. Hinc Descriptionem jam excipit ipsa Divisio. Etenim du-  
plicem Philosophi communiter Aeternitatem constituere solent: Aliam  
scilicet absolute its distam ac simpliciter tamē, qvā quid utrōq; que termi-  
nō & à Qvo & ad Qvem, h. e. inicū & fine caret, adedq; in duratione  
sua eorundem nullatenus potest esse capax; Aliam limitatam & secun-  
dum Quid ac comparsè tamē, qvā quid tantummodo terminō ad  
Qvem, seu fine durationis, destitutur. Hanc dicunt Aeternitatem à  
posteriori, seu à parte post (alias Aeterni rectius); Illam, Aeternitatem à  
priori & posteriori, item aeternum à parte antè & à parte pòst; Hanc  
Spiritibus finitis cumprimis; Illam DEO tribuunt; Eamq; priorem,  
nonnulli iterum in duas species alias dividere solent, videlicet in Primam  
seu Independentem, cui repugnat simpliciter initium atqve finis, ita ut  
ex se incapax sit limitum, & in sua intrinseca ratione infinitatem in du-  
rando includat; Et in Oram seu Dependenter ac Participatam, qvæ (li-  
ket ab æterno in æternum durare possit, tamen) non habet repugnan-  
tiam ad novitatem essendi vel terminum, cuius ratione eti⁹ initium &  
finem adū non admittat, alterutrum tamen vel utrumq; eorum ad-  
mittere possit, si DEUS ita olim voluisset, aut adhuc dum juberet. De  
priori, principali scilicet, atq; primā, (qvæ sola à nonnullis admittitur, &  
alias, voce absolutè positā, semper etiam intelligitur) hec usq; egimus;  
Posteriorem s. Participatam, qvæ creaturis, ad minimum sub possibili-  
tate, à qvib; usdam tribuitur, ad Questionem III. reservabimus. Sed pos-  
situs ad distinctiones nominales, qvā ad species Aeternitatis referri  
debent.

§. XVI. Absolutā Descriptione ac Divisione, methodi ratio nunc  
postularet, ut paucissima qvoque de Aeternitatis Adjunctis s. Proprietati-  
bus diceremus, qvæ aliàs ex descriptionibus nonnullis, qvas passim cùm  
Philosophi, tum Theologi de Aeternitate formant, colligi solent. Qva-  
sum, n̄ fallor, qvatuor Proprietates s. formalia consecutiva Aeternita-  
tis constitui possunt: Qyippe Invariabilitas, Indivisibilitas, Permanen-  
cia & Immensurabilitas. Sed has jam disertè declarare instituti ratio non  
permittit. Vide sis de iis, si placet, copiosè admodum differentem Ex-  
cell. Dn. Donati in jam cit. Disputatione (α). Properandum potius  
est ad Qvæstiones. Sit ergo

SECTIO II.  
PROBLEMATICA.

QVÆSTIO I.

*An Aeternitas sit Attributū Dei solius proprium?*

Ez̄ȳȳȳȳ.

Impingunt in hanc DEI aeternitatem omnes illi, qui eandem & Creatu-  
ris adscribunt, adeòq; DEO soli eam competere negant, de qvibus in  
Qvæst. seqv. expressè fiet mentio. Nos verò eandem soli DEO adscri-  
bentes ostendimus idipsum hoc modo: Præterqvam enim, qvòd Scri-  
ptura S. Aeternitatem unicè DEO passim tribuat, & per eandem à crea-  
turis in tempore factis eum distingvar, id qvoque ex eo luculenter patet,  
non tantum qvòd Attributum DEI sit, adeòq; idem cum ipsa Divina es-  
sentiā à parte rei; verum etiam, qvòd (ut jam antè patuit) durationē  
prorsus interminabilem dicat, qvæ Divina essentia, qvæq; interminabi-  
litas cerè nulli creaturæ, propter ipsius dependentiam atq; finitatem,  
est communicabilis. Ergo soli DEO erit propria hæcce aeternitas. Præ-  
terea qvod est verè, absolutè, propriè ac simpliciter aeternum, illud qvo-  
que est simpliciter immutabile. Jam verò nulla creatura est simpliciter  
immutabilis, qvia à non esse ad esse processit, & ab esse ad non-esse  
procedere potest. Cūm autem DEUS solus ut simplicissimus ac infinitus  
actus simpliciter immutabilis sit, E. solus qvoque DEUS, verè, ab-  
solutè, propriè ac simpliciter est aeternus. Adde, qvòd nulla alia res  
sit sua iphus duratio, dum non est suum Esse, DEUS autem sit suum Esse  
uniforme; adeòq; uti sua ipius est essentia, ita sua etiam est aeternitas;

Porrò:

(α) §. 20. & seqq.

Porrò: Qvod ab essentia DEI est diversum, non potest esse aeternum;  
quia (uti jam probatum fuit) aeternitas est ipsa DEI essentia. At vero  
omnes creaturae ab essentia DEI sunt diversae. E. nulla creatura quoque  
erit aeterna, sed solus DEUS. Tandem quia DEUS solum est Ens infinitum,  
infinitas autem non potest esse absque aeternitate, nec aeternitas  
absque infinitate, una enim harum remotam, statim tollitur & altera.  
E. sicut est solus infinitus, ita quoque solus est aeternus. Sed nolo his  
diutiis inherere, quoniam ea satis clara atque perspicua esse puto, cum  
jam supra. VIII. & IX. de hujus aeternitatis subjecto fusius paulo dis-  
serim. Vid. de hac Qvest. magous ille Theologus B. D. Gerhardus (β),  
itemq; Frommius (γ).

QVÆST. II.

*Utrum præter Deum aeternum adhuc aliud  
quid ipsi coeternum statui possit?*

E' synoic.

S. I. Ut nonnulli, qui præter aeternitatem, juxta Qvest. preced.  
soli DEO propriam, aliam adhuc fingunt, quam creaturis sal-  
tem per participationem (de qua in seqv. Qvest. agetur) convenire di-  
cunt. Ut jam non dicam de Manicheis, qui præter DEUM bonum, re-  
ferente Augustino (δ), aliud adhuc coeternum principium, Deum vi-  
delicet malum, commenti sunt. Fuit qvippe e' Veteribus Hermogenes  
Imprimis, qui heresin de Elementorum materia DEO coeterna, ex qua  
DEUS mundum fecerit, introduxit. Nec defuerunt, qui aquam non a  
DEO creatam, sed ei semper fuisse coeternam, autem ront, teste iterum  
August. (ε) Postmodum heretici quidam inter alia Mundum DEO  
coeternum esse docuerunt, à Stephano vero Episc. Paris. damnati, ut ex  
recensione Cent. Magdeb. (ζ) constat. Porrò inter modernos sun-  
t Phorintiani, varijs hic foventes errores. E. qvibus Smalzius (η) non dif-  
ficitur, fuisse qvosdam, qui materiam DEO ab eterno coexistentem age-  
seruerint. Moschorovius item affirmit, lucem illam inaccessibilem, quam  
DEUS inhabitat, esse aliquid aeternum & increatum, & qvæ sunt aliæ  
hujus farina sententiae, qvas fusius enumeratas vid. apud Magnif. Dn.  
D. Calovium (θ).

B. 3

S. II.

(β) in L. Theol. c. VIII. S. 4. quest. 1. §. 145. (γ) in Synops. Met. l. II.  
c. VI. axiom. 2. (δ) Heret. 46. (ε) c. 75. Heret. (ζ) c. 5. col. 572.  
(η) in ref. Disp. Franz. p. 414. (θ) l. c. de Eternitate p. 388; seqq. item  
quest. V. p. 420.



§. II. Verum enim vero cum haec omnia falsa atque absurdia sint,  
siquidem jam in quæst. præced. statuerimus, DEUM solum æternum esse,  
ideo merito eas opiniones rejicimus. Amplissimus vero hic se se  
ferret dicendi campus, si ea omnia examinare vellemus; sed cum id in  
stituti ratio non patiatur, pauca solummodo jam pro confirmanda mea  
sententia adducam, quandoquidem id sufficerit, modò unum alterum  
ve erratum tetigero. Et quidem quod Aeternitatem Mundus, quam plerique  
Peripatheticorum statuerunt, attinet, contra eandem Comtimbricenses (1) argumen-  
ta petunt ab antiquitate sententia hujus, à perpe-  
tua artium cultura, à temporibus, quæ commemorant gentiles Histori-  
ci, ac denique à decremente humanorum corporum. Quibus Greg. de  
Valent. (2) duo alia addit, unum à manifestatione potentia ac perfe-  
ctionis Divina, alterum à mundi senio. Sed isti Autores ipsiusmodi diffi-  
dunt hisce suis rationibus, dum apodictice seu evidenter creationem  
mundi in tempore factam è lumine naturæ demonstrari posse inficiantur.  
Nos interim breviter pro nostra sententia ex impossibilitate rei  
concludimus, esse quippe impossibile, Mundum statuere æternum, &  
quidem ob ejusdem finitatem; Nam quodcumque creatum est, omnino  
est finitum; Jam inter essentiam rei & ipsius modum certa debet inter-  
cedere proportio. Atqui essentia mundi est finita; Ergo etiam dura-  
tionem ipsius, quæ modus essentiae est, & à parte rei idem cum ea, fini-  
tam esse oportet, cum alijs finitum non sit capax infiniti, quod tum ve-  
rum esset, si mundus finitus infinitæ durationis esset particeps. Ulte-  
rius contra Photinianos materiam DEO coeternam afferentes conclu-  
do: Si materia DEO coeterna est, & quidem increata, nulla erit crea-  
tio ex nihilo; quod tamen historiæ creationis & apertis Scripturæ tes-  
timoniis repugnat. Porro, si materia increata est, destrui à DEO non  
poterit. E. nulla erit Seculi consummatio, quod tamen absolum. Et  
quæ sunt alia argumenta directa contra has varias sententias, quæ vide  
apud modò citat, Dn. D. Galovium (3). Confer. etiam hanc in rem B.  
D. Meisnerum (4), nec non B. Jac. Martini (5).

QUEST.

(1) Comm. in L. VIII. Phys. c. 2. quæst. 3. art. 3. (2) in L. Thom. Disp. 3. quæst. 3. punct. 1. (3) l. c. p. 421 & seqq. (4) in Phil. Socr. P. 1. Sctt. 3. c. 3. quæst. 1. (5) in Exercit. L. II. Exerc. V. Theor. 2.

QVÆST. III.

An Aternitas participata sit vera Aternitas?

Ez̄ȳn̄os.

§. I. Multos fuſſe, qui præter DEUM æternum etiam alias res ipſi co-  
æternas, id est ipsum Mundum ab æterno existentem, & si non hoc, tamen  
materiam aliquam primam DEO coæternam, ex qua mundus sit conditus,  
statuerint, ex Qy. præc. jam patuit. Qvod quia tamen adhuc multis dubium  
vixit, dixerit nihilominus, mundum creari potuisse æternum, ita ut æ-  
ternitas (quam Participatam vocant) creaturis communicari absque repu-  
gnantia posuerit, ut tamen æternitatem in solo Deo eminenter esse dicerent:  
Inter quos fuerunt compatrii Scholastici, ut Scotus, Durandus; Quibus ac-  
cedunt Greg. de Val. Thonas, Hervæus, & plures alii, qui res promiscue o-  
mnies condi potuisse æternas acriter contenderunt.

§. II. Econtra verò Ambrosius, Augustinus, & è Scholasticis ac Pon-  
tificiis Albertus, Toletus, item è Calvinis Scholà, Timplerus, Keckerman-  
nus, planissimè negarunt, ulla res præter DEUM esse posse æternas. Qvo-  
rum sententiae & nos subscribimus, quæ ex eo dilucidè appareat, si considere-  
mus, qvòd Aternitas nihil aliud sit, quam perennis duratio, omnis originis,  
interrupcionis, innovationis & scilicet penitus expers. Hujusmodi autem du-  
ratio qvomodo ulli creature attribui potest? Unde qvæso oritur, nisi ex es-  
sentia infinitate? Qyæ cùm non nisi soli DEO propria sit, nemo non inde  
colligere facile poterit, qvod æternum esse & creatum esse omnino a creatura  
sunt. Præterea qvòd nulla creatura æternitatis particeps fieri potuerit, ipsa  
creature ratio, conceptus, nec non qualitas indicat, quia creatum esse, est  
habere initium sui Esse; Jam verò qvidquam sui initium habere non  
potest, nisi etiam habeat durationis suæ initium, quia duratio rei cum essen-  
tia intrinsecè & realiter eadem sunt, simulq; existunt. Ut itaque se res ha-  
bet in esse, ita quoque in durate: Atqui creatura in essendo est finita, E. &  
in durando. Hinc poterò: Qvod non potest durare, nisi habeat aliquando  
suæ durationis initium, non potest esse æternum; Atqui creatura ita abs-  
que initio & fine durare nequit. E. sequitur, eam minime possisse esse æter-  
nam, & sic æternitatem illam participata non esse. Conf. h. in l. B. Dn.  
D. Brochmannus (ξ), qui dicit, hanc æternitatem puram putum comamen-  
tum esse.

QVÆST.

(ξ) Syst. Theol. de Creatione rerum, cap. II. Qvæst. VI. Ref. 2.



QVEST. IV.

An Eternitas in DEO successionem inferat, adeoq; temporis admittat differentias  
Ezynote.

S. I. Qvamvis unanimi sententiâ Patres orthodoxi tempus & successionem ex æternitate eliminârunt, Theologi qvoq; ut & orthodoxi Ecclesiæ Doctores hanc opinionem postmodum acriter propugnârint; atamen ex Photinianis multis ed temeritatis progressi sunt, ut in æternitate DEI prius & posterius, durationem item præsentem, præteritam & futuram, adeoq; tempus dari successivum, statuerint; cùm tamen apud omnes sanctamente prædictos certum esse debeat, essentiam DEI indivisibilem & totam simul esse, in qua nullæ partes sint sibi invicem succedentes; Cui sententia posteriori & Nos pollicem premissim.

S. II. Id qvod ex eo apparet, qvia æternitas à parte rei idem est cum, essentia DEI simplicissima; qvandoq; videtur notum sit, qvamvis durationem non increata duntaxat, sed & creatam, non realiter, sed ratione tantum ab essentia rei durantis distingvi. Jam autem cùm hujusmodi temporum differentiaz, partes esse sibi succedentes, realiterq; ab invicem separabiles, inferant, essentia Divina, utpote simplicissima, ejusmodi partes realiter distinguas, ex qvibus sit composita, minime admittet. Adde, qvòd talis successio temporis rei qvoq; supponat mutabilitatem, dum istiusmodi partes esse inferri, qvarum qualibet, ubi ad momentum saltum extiterit, statim perirent, alteri sibi succedenti locum relinqvens; Atq; hinc imperfectio qvoq; haud exigua ipsi inesse videtur, qvia negat simultatem totius esse, ac ita infert partialitatem ipsius esse ad qvodiabet momentum. Qvæ sane omnia cum essentia Divina consistere minime posse, luce meridianâ est clarus. E. concludimus tandem: Æternitas est tota simul, nec temporis admittit differentias.

S. III. Atq; hæc nostra de Æternitate sententia est, qvam balbutiendo cantum, utcunq; possimus, non ut volumus, in hac insurmitate ac imbecillitate foveamus. Rationes Adversar. contrarium in hac parte adversus nos stauerunt, silentio nunc præterite instituti ratio juber. Qvæ tamen omnia plenius discussa leges, si cupis, apud Vasquez (o), B. Klotzium (π), B. Jac. Martini (ρ), B. Scheblerum (σ), & inter hos præcipue Magnif. Dn. D. Galovium tam in Syst. Th. (τ), qvam in Met. Div. (υ), pariter ac Exc. Dn. Donati (φ); Confer. item Frommius (χ). Nos, ne Disquisitio nostra paginarum numerum fac. Philos. præscriptum excedat, hic filum abrumptere, adeoq; per dem figere cogimus, gratias interim æternas æterno DEO agentes pro sua benignissima assistentia, in cuius qvoq; nomine sic

F I N I S.

(o) l. s. Disp. 32. c. 2. 3. & 4. (π) D. 10. Tb. N. tb. 28. seqq. (ρ) P. pr. D. Tb. Sch. in A. C. D. 6. & T. de Tr. El. I. II. c. 51. (υ) in Met. l. 1. c. 16. T. 8. art. 6. (τ) c. 8. q. 5. (χ) P. Gen. c. 7. de Dur. Por. 3. & 4. (φ) in G. Pn. MSC. b. l. q. 5. (χ) l. 6. q. 5.

Ung. VI 5g  
f



56.

VD 17.

Jan. 2000 RU





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches



JOVA JUVA!  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
EX  
THEOLOGIA NATURALI  
DE  
**ÆTERNITATE.**

QVAM  
DEO ÆTERNO DUCE,  
ex benevolo Ampliss. Facult. Philosoph. indultu  
IN ELECTORALI AD ALBIM LEUCOREA,  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI PRÆCLARISSIMI, HUMANISSIMI,  
PARITER ATQVE DOCTISSIMI

Dn. M. PAULI PLATANI,  
Muotovâ - Hungari,  
Fautoris atqve Amici honorandi, Preceptoris  
itemq; estimatissimi,  
Publicæ Eruditorum Disquisitioni  
fistit  
AUCTOR & RESPONDENS  
**MICHAEL SARTORIUS,**  
Gubenensis Lusatus,  
Ad Diem XXVII. Martii, A.O.R. M. DC. LXXVIII.  
IN AUDITORIO VETERIS COLLEGII,  
Horæ antemeridianæ.

---

WITTEBERGÆ,  
Typis JOH. BORGKARDI excudebat SIMON Sieberhrt;